

4

tum sane est Elogium, perinde ac Schmidiani versus summam de ROESERI vtriusque in Ecclesiam & Scholas officiis testificationem complectuntur, ad alterum respicientes monumen-  
tum, a Schmidio itidem beatis manibus IACOBI NICOLAI ROESERI parentis, aliquanto ante & mox sequenti versu possumus:

IACOB-NICOLEVM ROESERVVM haec vrna recondit,  
quo neque Vir melior, Mystra priorque fuit.

*Est autem IACOBVS NICOLAVS ROESERVS, editus in lucem quarto Idus Aprilis A. M DCXVI. & apoplexia extinctus quarto Calendas Aprilis A. M DCLXXXIV., qui ob insolitam iuuentutis sua conditionem illis addendus est, quos anno proxime superiore Lipsiae Cl.M. Io. Tobias Gleichi per dissertationem historicam de singularibus Theologorum fatis produxit; pestilentia enim conflictatus triduo mentis inops iacuerat ROESERVS admodum iuuenis, & praeterea primo isto aetatis flore in varia vitae inciderat discrimina. Ipsi Autori quae supersunt, scripta pietatem ROESERIANAM cum eruditione iunctam dilucide demonstrant, veluti, verbi causa, praeter Tractatus quosdam aduersus papalem doctrinam, sunt Conciones Encaeniales, Florilegium festuum, Euangeliographia & Epistolographia, de quibus Io. Hulsemannus & Ge. Goetzius, Theologi grauissimi & in arte pro con-  
cione verba faciendi versatissimi, gravissime, verissime, hoc est, ROESERI collaudatione judicarunt: & ROESERI huius est eruditus sermo de Eruditione pietati iuncta, qui monumenti instar, post tot alia, per typos publicos in oculis omnium nunc conditur & collocatur. Huiuscemodi vero argumento an in Schola exponi potuisset praeclarus, an salubrius? In confessu sane solenni pronunciata est Oratio, fuitque tam studiose exaudita, ut describendam sibi complures petierint, lecturi interim & relecturi, quam in bibliotheca sua in praesens quasi tempus seruari voluit Orator summe venerandus. Pertinent Orationes tales ad Eruditorum vias, in quibus curate tradendis & effigiandis hodie desudant Eruditi & elaborant: nec ruinae vicinum est monumentum, quo, iuxta cum memoria suscepit muneris, opinio aliorum magna de meritis in Ecclesiam, Scholam & liberales artes posteritati commendatur. Et quamvis egomet ipse statuam, climatam hanc Orationem, si ab Autore esset evulgata, ROESERIA-NO comparituram arbitrio; nam qui Orationes componunt habentque, at ab omnibus nolunt legi, vel tacita relinquunt quaedam, vel, apud suos quod enunciatum est, alibi tacendum putant: spes tamen vicissim est, fore, ut haeredibus ROESERIANIS totique orbi literario placeat simplex & sincera voluntas mea aequa, ac Viri praemodum Reuerendi, Dn. Philippi Nicolai Zimmermanni, Pastoris in vico Schwartzburgico Langenwiese / Viri literatissimi, & cum ROESERIS cognatione iuncti, qui à filio suo, è Gymnasio Schleusingensi in Academiam ablegando, per Orationem supremam IACOBO NICOLA O ROESERO honoris statui voluit monumentum, tum diligenter hactenus affermatam Orationem iam dictam publicae luci donandam obtulit, mecum, recte nunc illam imprimi, ratus, quando SCHMIDIUS non ita pridem in honestum otium missus sit ē ludo, cui praeesse olim ita iussus fuisset per ROESERVUM.*

Verum enim vero planum hinc simul fit & perspicuum, cur SCHMIDIANVM quoque monumentum vocitem Orationem, & cum monumentis Rectoris SCHMIDI li-  
ceraris aliisque, quae a discipulis quondam suis, Viris Nobilibus & Eruditis, posita sibi Is Ipse meminit, monumentum praesens iungere discipiam; monumentum, quo in Viri Clarissimi vitam omnem & gestionem muneric Scholastici laudabilem excurrere non quidem est ani-  
mus, afferre tamen meditor, quae in Orationem toties citatam videantur conuenire.

SCHMIDIUS enim est, qui a summe Reuerendo Domino Ge. Henrico Goetzio, Superintendente Annaemontano, iam Lubecensi, in Oratione de Claris Schmidiis, recitata A. M DCXCIX. in Synodo Dioecesana, bis fere verbis adducitur: Quedlinburgensium Scholam regit adhuc hodie M. SAMVEL SCHMIDIUS, Vir meritis ac annis grauis, suumque nomen edito Hodego Epistolico ad posteros trans-  
mittere studuit, quod utilissimum scriptum Domini Collectores Aetorum in Sup-  
plementi T. I. p. 360. recensuerunt. Conferatur Morhofi de ratione conscribenda-  
rum Epistolarum libellus p. 33. Idem SCHMIDIUS (dignum, cuius heic iniiciatur,  
mentio!) Orationes Tullianas, quas in Auditorio absoluit explicando, Dramatis deinceps texit involucro, vt & hac ratione negotium spectandum exhiberet aliis, suos Latine loqui as-  
suesaceret, & amorem in Ciceronem ex uno semine culmis pluribus redderet fruticantem.  
Rariori utique emolumento iuuenum, quorum audiendorum gratia tot itidem in Aetibus Ora-  
torius confecit allocutiones, quas Programmata vocamus, eruditionem integrum, & solidam  
magno-